

~~XIII~~

Q. B. V.

DISPUTATIO METAPHYSICA  
DE

DISTINCTIONE,

Quam

Inclytæ Facultatis Philosophicæ  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

permissu

PRÆSIDE

M. CHRISTOPHORO SCHRA-  
DERO, Halâ-Sax.

Publicæ Eruditorum ventilationi

exponit

CHRISTIANUS Kellermann /  
Ciza-Misnic.

ad d. 19. Septembr. A. M. DC. LXIIX.

H. L. Q. S.

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS COLERL

*colerl*

*H. Lic. M.*

*a. CVII. 45.*

Ill. diss. A  
7, 45

DISPUTATIO METAPHYSICA

DISPUTATIO

In Academiâ Lipsiensi  
In Facultate Philosophicâ

M. CHRISTOPHORO SCHRA



Publicæ Bibliothecæ Universitatis Lipsiensi

CHRISTIANUS SCHRAMM

1777

1777

1777

JOHANNES COLBERT



**JUVANTE DEO!**

**SECTIO I.**

*De*

**Distinctionis Definitione &  
Divisione.**

§. I.

**D**E Distinctione ejusq; generibus disquisituri non malè locabimus operam, si à nominis evolutione tractationem ordiamur. Distinctionis itaqve vocabulum quod concernit, à distinguendo originem trahere in propatulo est. Distingvere autem nihil aliud importat, quàm unum ab altero, verum v.g. à falso, separare & discernere.

§. 2. Sumi verò solet Distinctio tribus potissimum modis. 1. Pro *interpunctione Grammaticâ*, quâ orationem scriptam secamus per comma (liceat hûc trahere hos terminos è Grammaticorum scholis) colon, punctum &c. quo sensu communiter intelligitur illud *πλουθρὺ λλητον*: qui benè distinguit, benè docet. 2. Pro *Divisione*, sive sit vocis in sua significata, sive generis in species, sive totius in partes &c. Nam promiscuè in Philosophorum scriptis & dividi & distingui dicitur totum in suas partes, subjectum in sua accidentia, genus in species, quibus vocibus idem significari nemo non

A 2

animad-

animadvertit. 3. Pro Diversitate, quæ rebus vel revera  
inhæret, vel ab intellectu saltem nostro tribuitur. Quo  
sensu accepta distinctio identitati, quæ unitatis conse-  
quens est, opponitur & secundum *Francisc. de Ovid. Con-  
trov. Metaph. 4. punct. 1.* in eo consistit, quod hoc ens non  
fit illud. Hoc loco Distinctionem capimus in sensu  
posteriori, atque ita Metaphysicæ est considerationis.

§. 3. Cæterum animus nunc nobis non est, ad il-  
lam controversiam, arduam certè & intricatam, di-  
gredi: Sitne distinctio formaliter sita in negativo, an  
in positivo. Quorum prius amplectitur *Suarez Disput.  
Metaph. 7. Sect. 1. n. 2.* multiqve alii, qui distinctionis ra-  
tionem formalem in negatione identitatis duorum ex-  
tremorum consistere asserunt, ita ut pro materiali ha-  
beat extrema, quæ distinguuntur, pro formali verò  
negationem. Posterius tuetur *Comptonus Diss. Log. 20. sect. 2.*  
& præter eum alii plures.

§. 4. Solet ea communiter explicari per negatio-  
nem & describi quod fit, quæ unus conceptus, qui distingui di-  
citur, non est is, à quo distinctus esse dicitur.

§. 5. Quæ verba ut dextrè intelligantur, notamus,  
duplicem dari Conceptum, formalem & objectivum.  
Formalis est actus intellectus, per quem ipse rem sibi  
objectam cognoscit. Conceptus verò objectivus est  
ipsam objectum sive res per conceptum formalem co-  
gnita e. g. Quando cognosco teu concipio leonem,  
leo est conceptus objectivus, est enim objectum intel-  
lectui meo representatum & ab eo cognitum. Mentis  
verò actus, quo leonem cognosco, est conceptus for-  
malis. Unde Conceptus uterque appellationem ha-  
beat suam, exponit *Suarez Diss. Met. 2. sect. 1. n. 1.*

§. 6. Cum itaque in Divisione conceptus unus  
non

non fit alius, conceptus verò, uti jam dictum est, non unus sed duplex fit, hinc duplex quoque in universum nobis nascitur distinctio. Quandocumque enim conceptus objectivus non est idem, sed alius atque alius, exurgit distinctio realis; Quando autem conceptus objectivus unus quidem est & idem, conceptus verò formales, in nostro intellectu existentes, sunt alii atque alii vel diversi, oritur distinctio rationis.

§. 7. Inter hæc duo distinctio generis non datur aliud medium, quod misis aliis rationibus in victo hoc syllogismo confirmatur: Cujus divisionis membra important rationes contradictorias, inter illa non datur mediū. Atque in membra traditæ divisionis important rationes contradictorias. E. inter illa non datur medium. Minor probatur, quia distinctio realis dicitur, quæ competit rebus citra intellectus operationem, distinctio verò rationis, quæ non competit rebus citra intellectus operationem; jam autem competere rebus citra intellectus operationem, & non competere rebus citra intellectus operationem, termini sunt contradictorii, omne respicientes medium. Suppediat hoc argumentum *B Stevogi. Dissp. de Contradict. §. 34.*

§. 8. Quæ licet sint verissima, sunt tamen nihilominus, qui dicunt, mediam quandam distinctionem reperiri, quæ neque realis sit neque rationis.

§. 9. Scotistæ inter rei & rationis distinctionem mediam ponunt eam, quam vocant *Formalem*. Cujus sententiæ autorem quidam faciunt ipsum Doctorem subtilem, quem tamen *Mendoza* pro suo in Scotum studio, ut ipsemet loquitur, ab invidia hujus opinionis liberare conatur *Disp. 6. Metaph. sect. 3. §. 26.* Idem facit ex ipsis Scotistis *Herrera* (apud *Francisc. de Ovied. Controv.*

*Met. 4. p. 2. n. 9.*) Verum enim vero de Scoto ipso, suamne fecerit hanc sententiam, nec ne? hoc loco litigare, operæ pretium vix esse videtur. Tenent eam communiter omnes ferè Scotistæ, quibus alii quoque ex liberiori Philosophantium genere adhærent.

§. 10. Ut verò constet, quid nomine Distinctionis formalis velint intellectum, rem totam ex Johanne Poncio, non ignobili Scotistâ, *Disp. Met. 4. qu. 1. n. 1. p. 936.* paucis exhibebimus. Faciunt illi distinctionem in genere duplicem: Ex naturâ rei & Rationis. Per illam idem intelligunt quod nos per distinctionem realem generaliter acceptam, quæ scilicet in rebus est independenter ab intellectu cognoscente. Realem hanc seu ex naturâ rei subdividunt in Positivam & Negativam. Positivam denique dispefcunt in realem propriissimam & formalem. Realem appellant, quæ est inter rem & rem, ut inter Petrum & Paulum, albedinem & nigredinem; Formalem verò, cujus extrema non sunt res seu entia, sed formalitates.

§. 11. Hoc modo distingvi ajunt non solum gradus in uno subjecto, tam superiores quam inferiores, sed etiam attributa divina, quæ tum ab essentiâ tum à se invicem formaliter differre statuunt. Alii verò hanc distinctionem acriter impugnant, quoniam eâ admiffâ inter attributa divina sequitur, Deum esse compositum aut saltem non simplicissimum, quod B. Stahlus ostendit *Discurs. ad Tab. 21. Metaph.* prætereâ exempla pro distinctione hac adducta demonstrant, eam solo nomine discrepare à distinctione reali vel rationis,

§. 12. *Fonseca* quoque, Scotistis, quamvis non omni ex parte, consentiens, triplicem facit distinctionem, Realem, ex naturâ rei & rationis *l. s. Met. c. 6. q. 6. s. 1.* Realem definit,

definit, quâ aliquid ab alio distinguitur, ut res una ab aliâ re, aut ut pars una realiter integrans totum homogeneum, ab aliâ integrante. Hoc pacto distingui dicit Socratem à Platone, & naturam Socratis ab ejus corpore. Ex naturâ rei verò, quâ aliquid ab alio distinguitur præcisâ omni operatione intellectûs. Et hanc subdividit in *Modalem*, *Potentialem* & *Formalem*, quas species omnes facit medias inter Realem & Rationis distinctionem.

§. 13. Fonssecam sequitur ferè ad verbum *Eustachius à sancto Paulo part. 3. Met. Disp. 3. qu. 5.* qui similiter tria constituit distinctionum genera, distinctionem nimirum *Realem*, à *Naturâ rei* & *Rationis*, quas omnes eodem modo explicat.

§. 14. Graviter verò *Fonsseca* & *Eustachius* peccant in regulas bonæ divisionis. Ut legitima sit divisio requiritur, ut membra ejus inter se sint opposita, nec unum membrum divisiones contineatur sub altero, quod non *Aristoteles* solum *X. Met. c. 11. & 1. de part. animal. cap. 3.* sed ipse etiam *Fonsseca lib. 4. Inst. Log. c. 13.* requirit, ubi multas hujus generis divisiones rejicit. Præsens verò divisio trimembris non habet membra opposita, sed unum comprehenditur sub altero, realis nimirum distinctio sub eâ, quæ est ex *Naturâ rei*, quod ipse *Fonsseca* disertis verbis p. 398. fatetur.

§. 15. Ex dictis itaque relinquitur, *Distinctionis* divisionem bimembrem supra traditam, immediatam esse, nec ullam afferri posse *Distinctionis* speciem, quæ à reali & rationis *Distinctione* planè sit aliena, nec ad alterutram referri queat. Quæ cum ita sint, pretium operæ facturi sumus, si uberiolem earum explicationem, quantum instituti nostri ratio permittit, subjiciamus.

SECTIO

## SECTIO II.

De

### Distinctione Reali.

§. I.

**D**istinctio realis in suâ latitudine sumta, à Scotistis communiter *Distinctio ex Natura rei* dicitur, ut supra dictum §. 10. vid. *Johann. de Rada lib. 1. Controv. inter Scotum & Thomam Controv. 4. 59.* Est hæc inter extrema ante omnem intellectus actum distincta. Unde definiiri solet, quod sit distinctio, quæ rebus competit citra mentis operationem, quomodo Petrus & Paulus, homo & equus distinguuntur, semotâ omni intellectus actione.

§. 2. Dicitur in Definitione, quod rebus competat citrà mentis operationem. Per hoc distinguitur à distinctione rationis, quippè quæ ab intellectu tantum dependet, rem eandem ut diversam concipientem. In illis verò quæ realiter distinguuntur, datur diversitas citra omnem mentis operationem, unde etiam distincta manent & dicuntur, licet intellectus eorum diversitatem & disconvenientiam non apprehendat.

§. 3. Quod contra *Voëtium* observari debet, qui à communi Doctorum sententiâ secedens, omnem distinctionem mentis opus esse asserit, proindeque eam definit, quod sit *actus mentis, quo extrema ut non identificata apprehendit.* *Phil. prim. Reform. c. X. sect. 14. qu. 2. pag. 234.* Ad distinctionem itaque sufficere negat adesse extrema, eaque negare identificationem, nisi & hoc adsit, ut mens ea ut non identificata apprehendat, prout verba ejus sonant c. I.

§. 4.



§. 4. Quæ etsi speciosè satis ibi proponuntur, veritati tamen parùm conformia esse ex eo liquet, quod, si omnis distinctio est actus mentis, sequatur, nulla, quæ distinguuntur, citrà intellectûs operationem distingui, quod oppidò falsum est, & à nemine, nisi *διανοίας ἀπρῶτος* labore, admittitur, cum multa distinguantur realiter, etiamsi intellectus de illis non cogitet.

§. 5. Hæc de Definitione Distinctionis realis. Nunc in speciem eam suas diducamus. Avariis variè dividitur, è quibus divisionibus aliquas saltem, easque potiores, seligemus. Omnes enim afferre chartæ angustia non permittit, cum fatente *Dn. D. Calovio part. gener. Metaph. c. 13. §. 3. in subdivisione distinctionis Realis autores facilius numerare possis, quàm sententias.*

§. 6. Dividitur primò in *positivam & negativam*. Positiva distinctio intercedere dicitur inter extrema positiva, quorum unum non est aliud citrà mentis operationem, qualis est inter Petrum & Johannem, hominem & brutum, albedinem & dulcedinem.

§. 7. Negativa versatur inter extrema negativa, ità ut vel utrumque extremorum sit negatio aut privatio. v. g. duæ cæcitates, duæ surditates duorum hominum; vel unum eorum sit positivum, alterum negativum vel privativum, ut sunt ens & non-ens, vivum & mortuum, lux & tenebræ.

§. 8. Ab extremis itaque seu illis, quæ distingui dicuntur, desumptæ sunt hæ appellationes. Illa enim si positiva sunt, seu entia realia, ipsa etiam distinctio, quæ inter illa datur, appellationem accipit, ut dicatur positiva. Si verò alterum eorum vel utrumque est negatio aliqua vel privatio, ipsa quoque distin-

B ctio,

ctio, quæ inter ea volvitur, appellatur negativa.

§. 9. Altera distinctionis Realis divisio est, quâ ratione extremorum dispefcitur in *strictè realem & modalem*, Realis specialiter & strictè sic dicta (quam *Franciscus Bona Spei Tract. 1. Logic. Disp. 2. dub. 3. §. 132.* Physicam appellat) est, quando unum ab alio distinguitur tanquam res à re. Sic distinguitur Plato à Socrate, Paulus à Leone, pluma ab ave.

§. 10. Modalis appellationem habet à modo, quia (ut *Mendoza Disp. 6. Metaph. sect. 2. n. 12.* docet) non utrumque extremorum est res, sed vel unum eorum est modus, alterum res, vel utrumque est modus.

§. 11. Ut natura hujus distinctionis rectè intelligatur, probè notandum est, quid per vocabulum *Modi* intelligendum veniat, cum maxima modorum sit varietas, nec omnes cum re, quam modificant, distinctionem modalem efficiant.

§. 12. Non sumitur autem hîc modus in totâ suâ latitudine, quam evolvit *Svarez Disp. Met. 7. sect. 1. n. 17. p. 124.* sed in quantum de eo hîc sermo est, notat ejusmodi entitatem, quæ per essentiam suam actu afficit rem aliquam singularem, cui adhæret, sine quâ esse nullo modo potest.

§. 13. Nervosè hanc rem præ cæteris explicat *B. Stablius in Disputat. contra Scotistas de Distinct. formali ex naturâ rei §. 6.* cujus verba, licet prolixiora, non pigror adscribere. *Significat, inquit, vocabulum modus hoc loco entitatem, de cuius intrinsecâ ratione est, rem aliquam singularem actu afficere, ipsiq; quasi affixum esse, ita ut per nullam potentiam esse possit, nisi actu eam afficiat, ipsiq; quasi affixa sit, vel, ut nec concipi possit absq; hoc, quod aliquid actu determinet & afficiat. Res autem sive ens dicitur, cui peculiaris debetur entitas, ut quamvis non actu aliquid afficiat, & ipsi quasi affixum sit, possit tamen per potentiam*  
Dei

Dei absolutam esse. Sic sessio & presentia Petri sunt modi eius, Petrus verò est res, quia fieri non potest, ut sessio & presentia Petri sint, nisi Petrus sit, & nisi Petrus sit actu sedens & præsens. At Petri natura non est aliquid afficere, imò Petrus esse potest quamvis non sedeat, aut non sit hoc vel illo loco præsens. Haftenus Stahlus.

§. 14. Illa igitur distinctio, quæ inter eiusmodi modos, vel inter modum & rem intercedit, à modis illis modalis dici solet. Talis est v. g. inter Paulum & eius sessionem (quorum unum est res, alterum modus) inter sessionem Petri & eius presentiam (quorum utrumque est modus rem unam afficiens.)

§. 15. Communiter definitur, quod sit distinctio, quâ unum ab alio distinguitur tanquam modus à re modificatâ. Verùm cum angustior sit hæc definitio, ut ex hætenus dictis patet, ei meritò præferimus illam, quæ legitur apud Fonsecam lib. 5. Metaph. c. 6. qv. 6. Sect. 2. *Distinctio modalis est distinctio, quâ entia per modos, aut ipsi modi cum inter se, tum ab entibus distinguuntur.*

§. 16. Acriter contra hanc distinctionem insurgunt illi, qui modos rejiciunt, cujus sententiæ patroni dicuntur apud Francisc. Bonæ Spei part. 1. phys. tract. 1. Disput. 6. qv. 2 §. 11. p. 64. Nominales, quibus socios dat Gregorium de Valentia Tom. 4. Disput. 1. qv. 2. & Johannem de Sancto Thoma Phys. qv. 6. art. 3. qui similiter modos agnoscere nolunt. Ab illis autem modorum osoribus non immeritò cum majori Philosophorum parte secedimus, & contra eos Distinctionem modalem omninò admittendam esse, rationibus haud ficulneis innixi, judicamus.

§. 17. Antequam ad alia pergamus, ulterius adhuc notandum est, distinctionem modalem, de quâ hætenus diximus, peculiare & à reali distinctione alienum genus haud efficere. Quamvis enim Distin-

ctioni reali specialiter sumptæ, quæ scilicet, est inter rem & rem, opponatur, nihilominus tamen omninò realis est, quatenus realis distinctio in sensu latiori sumpta opponitur tantùm distinctio[n]i rationis, quod patet, quia 1. citrà omnem mentis operationem Paulus à sessione suâ distinguitur 2. quia potest à sessione suâ separari, & actu separatur, quandò surgit. Separabilitas verò est signum distinctio[n]is realis.

## SECTIO III.

De

### Distinctio[n]e Rationis.

§. I.

POst explicatam Distinctionem realem restat ut pergamus ad Distinctionem Rationis, tanquàm alterum divisionis membrum, quâ distinctio latisimè accepta adæquatè dividitur. Appellationem quod attinet, multorum ea fuit opinio, dici hanc distinctio[n]em *Rationis*, quod extrema, inter quæ versatur, sint entia rationis. Verùm hæc assertio tolerari non potest, siquidem ea, quæ sic distinguuntur, sunt entia realia, vel potius ens reale diversis modis conceptum. Et licet distinctio, quæ inter entia rationis est, per denominationem sumptam ab extremis suo modo dici possit rationis distinctio, diversa tamen hîc est ratio. Dicendum ergò, habere eam appellationem suam à causâ gignente, ratione nimirum seu intellectu, quia, ut pro hac re differentis Suarezii Disp. 7. sect. 1. n. 4. verba mea faciam, *actus & formaliter non est in rebus, sed per rationem fit sive excogitatur.*

§. 2. Sumitur autem hîc distinctio Rationis  
non

non in significatione Aristotelicâ, quâ λόγῳ seu ratio-  
ne distingui est essentia distingui, sicut dulce & album  
Aristoteles differre λόγῳ seu ratione ait, h. e. non per  
operationem intellectûs, sed per essentiam & definitio-  
nem, exponente Scheiblero lib. 1. Met. c. 8. Tit. 4. art. 1. n. 39.

§. 3. Sed ex mente Scholasticorum, qui Distin-  
ctionem Rationis sumunt pro eâ, quæ est per operatio-  
nem intellectûs, vel, ut explicat Oviedo (ontrov. Metaph. 4.  
punct. 2 n. 2. quæ tantum habet esse objectivè in intellectu,  
& secundum totum suum esse essentialiter dependet à  
cognitione intellectûs.

§. 4. Quibus præmissis ita describimus Distin-  
ctionem Rationis: *Distinctio rationis est divisio ejusdem con-  
ceptus objectivi per diversos conceptus formales cogniti.*

§. 5. Dicitur in Definitione: *eiusdem conceptus ob-  
jectivi.* Res ipsa enim in se est & manet indistincta &  
planè eadem, objicitur saltem aliis atque aliis concepti-  
bus formalibus, per quos dicitur dividi & à se ipsa di-  
stingui.

§. 6. Ex his igitur patet, quòd, quoniam Distin-  
ctio rationis fit per actum intellectûs, per eam in sub-  
jecto nulla fiat mutatio ac distinctio, quoniam  
mentis actus objecto est extrinsecus, ab illis verò, quæ  
extrinsecè solummodò denominant, nulla planè in re  
denominatâ oritur mutatio. Quemadmodum v. g.  
quandò paries denominatur visus à visione, nulla  
mutatio ponitur in pariete, nec paries aliter se habet  
post ac ante visionem.

§. 7. Subdividitur hæc Distinctio in *rationis ratio-  
cinantis & rationis ratiocinatae.* Nos misis difficultatibus,  
quæ circa hanc divisionem occurrunt, asserimus, Di-  
stinctionem rationis ratiocinantis esse, quæ nullum

fundamentum habet in objecto cognito, sed tota ratio distinguendi desumitur à conceptibus synonymis, quibus res eadem repetitis vicibus intelligitur, ut cum v. g. in hac propositione Petrus est Petrus, Petrum iteratò concipimus, semel sub ratione prædicati, iterum sub ratione subjecti.

§. 8. Distinctio rationis ratiocinatæ est divisio rei alicujus, in se indivisæ, sed per mentis operationem aliter atqve aliter cognitæ, cum fundamento in re, ut cum hominem per conceptus inadæquatos repræsentamus, quorum nullo concipitur tota quidditas e. g. cum uno conceptu repræsentamus rationem animalis, alio rationem rationalis.

## SECTIO IV.

*De*

### Signis utriusque Distinctionis.

§. I.

Quid & quotuplex sit distinctio tam rei quàm rationis, dictum est, nunc de utriusque signis dispicemus. Quod primò Distinctionem realem attinet, varia ejus signa & indicia ab Autoribus passim proferruntur, quæ tamen pleraqve spuria sunt, & reverà realem Distinctionem non indicant, ex quibus nonnulla prius, quàm ad genuina explicanda gradum proferamus, excutiemus ac removebimus.

§. 2. Tale est 1. *Diversitas predicamentorum*, quam Distinctionem realem inferre contendit Niphus lib. 4. *Metaph. q. 4. Venetus l. 3 Met. c. 31.* Verùm hanc non sufficere patet ex actione & passione, quæ secundum communem

nem

nem opinionem distincta constituunt prædicamenta, cum tamen sint unus & idem numero motus, qvi, qvatenus procedit ab agente, Actio; qvatenus recipitur à patiente, passio dicitur. Dico: *secundùm communem opinionem.* Dissentit enim *Arriaga Dissp. 3. Met. Sect. 1. n. 4.* Divisionem entis in decem prædicamenta impugnans inter cætera ex eo, quod eandem rem, actionem & passionem, ponit in duobus prædicamentis.

§. 3. 2. *Diversitas Definitionum.* Hoc fundamento nititur *Timplexus l. 5. Metaph. c. 4. qv. 2.* dum probare conatur, actionem inter & passionem dari discrimen reale. Geminum in modum *Mercenarius Dissp. 1. de putred. c. 2. p. 127.* contra Thomam Erastum colligit, mixturem & mixturem generationem differre realiter propterea, quòd diversas habeant definitiones. Enimverò rectius hoc signum tanquam spurium rejicitur, cum unius etiam rei haud rarò pro diverso respectu plures dari possint definitiones, quæ tamen à se ipsâ realiter non differt. e.g. homo, si ut totum essentialè; physicum consideratur, definitur per partes físicas, corpus organicum & animam rationalem; Sin alio modo consideratur, ut totum essentialè Metaphysicum, qvatenus constat ex genere & differentiâ, per partes Metaphysicas definiendus est, quâ ratione oriuntur diversæ definitiones hominis, sine reali sui multiplicatione aut distinctione. Ità anima diversas subit definitiones, sc. tum causæ efficientis, tum formalis; hujus quidem, si consideratur respectu corporis, quod informat, illius verò, in quantum consideratur in ordine ad operationes vitales, quas elicit, quarum respectu est principium effectivum.

§. 4.

§. 4. 3. *Diversitas loci, temporis, operationum &c.* Quæ signa multi passim urgent, illis verò realem distinctionem evidenter non inferri prolixè demonstrat *Scheiblerus l. 1. Metaph. c. 8. art. 3. punct. 1.* qui videri potest.

§. 5. Nos ex *Mendoza Diss. Met. 6. sect. 2.* tria distinctionis realis ponimus indicia. Primum & præcipuum est *separabilitas unius ab altero.* Si nimirum res quædam vel actu separatae sunt, vel separari possunt, si sunt conjunctæ & unitæ, sive separatio ista naturaliter fiat, sive per potentiam DEI absolutam, evidens signum est, illas distingui realiter.

§. 6. Alterum Distinctionis realis signum est, quando aliqua sunt aut diversa supposita, aut in diversis suppositis. Quod prius attinet, nemo negare audebit, duo supposita, v. g. Petrum & Johannē, seposito omni intellectûs actu realiter distingui. Quod si igitur duo supposita realiter distinguuntur, necessariò indè colligitur, illa quoque, quæ in diversis suppositis existunt, v. g. eruditionem in Petro & eruditionem in Paulo, distingui realiter.

§. 7. Tertium denique signum est, quandò duo se habent ut causa & causatum. Quod quidem signum ab aliis in dubium vocatur, verùm cum nulla res sui ipsius causa esse possit, ultrò sequitur, aliud omninò esse ens quod influit, aliud verò quod ex influxu isto provenit.

§. 8. Atque hæc de signis Distinctionis realis tam spuris quàm genuinis dicta sunt. Rationis Distinctio nullam habet difficultatem. Si enim certò constet, duo vel plura per nullam potentiam, tam mutuò quàm non mutuò separari posse, signum est manifestissimum, illa distingui non realiter, sed ratione tantùm aut intentionaliter.

FINIS.

coll. diss. A. 107, misc. 45